



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindellicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXXVI. Christus & hic crucifixus sit nostrum quotidianum horologium, ac perpetuum mobile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXVI.

Christus & hic crucifixus sit nostrum horologium, ac perpetuum mobile.

Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. Jo. 12. 23.

I.

**E**Zechiam piissimum Israelitarum Regem insanabili quondam ulcere ac gravissimo morbo laborantem Isaias Prophetarum princeps invisit, ut eum non tam ad patientiam, quam ad futuram mortem disponeret: *Præcipe domui tua, morieris enim tu, & non vives.* Fatale hoc regi nuntium fuit, quod non duntaxat illi lacrymas, sed & largissimum sudorem ex omnibus membris expressit, & quia ad templum lecto supremo affixus se amplius conferre non poterat, ad illius faciem se convertit, ubi ad DEum magnâ cum fiducia preces ingeminans, ob conscientia teneritudinem meruit, ut non modò pristinae saluti restitueretur, sed & quindecim anni ad vitæ illius prolongationem adjicerentur. In signum hujus mox recuperandæ valetudinis Sol per inauditum miraculum in æneo & solari horologio Achaz ad preces Isaiæ per novem gradus usque ad decimum retrocessus est: *Invocavit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat. in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.*

Stupendum hoc orbi fuisse portentum, & omnibus retro sæculis prorsus inauditum, quis neget? Sed advertite mysterium: *Sol iustitia est Christus Deus noster,* qui novem gradus, hoc est, novem Angelorum choros in cælo reliquit, & usque ad decimum gradum, hoc est, usque ad crucem, quæ per decimum numerum X. adumbrata est, ad salvandum genus humanum (magnum illum ægrotum) sese demisit: *Magnus, inquit S. Augustinus, de cælo descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.*

2. Sunt qui per dictum horologium Achaz etiam Sanctissimam Dei Genitricem intelligunt, ita Officium de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ: *Salve horologium, quo retrò gradiatur Sol in decem lineis, Verbum*  
*Gimber Unus pro omnibus.*

ooo

Heda, Eucherius & alii.

S. August.  
S. Gregor &c.



Jo. 11. 8.

*bum. incarnatur, Homo ut ab inferis ad summa attollatur.* Sed & Christus in cruce pendens nobis infervit pro horologio, ideò ipsa Veritas Christus, cum ad mortem crucis anhelaret, & Apostoli illi objectarent, ne in Judæam de novo proficisceretur: *Nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Benignè respondit: *Nonne duodecim sunt hora diei?* Supra quod S. Augustinus apud Cornelium: Sicut duodecim horæ sequuntur diem, id est, Solem, ejusque cursum, ut sibi ex ordine vicissim succedant, sic vestrum est me sequi: Ego enim sum quasi vester Sol & dies, vos autem me stipatis quasi duodecim horæ. Et quid, obsecro, est horologium Sciathericum seu Solare sine Sole? Si sol deficit, quis horologium solare respicit? Ergo Christus est sol & simul horologium nostrum ac præsertim in passione & cruce.

3. Inspiciamus hoc mysticum horologium, & singulas horas consideremus, quæ ac quanta pro nobis pretiosissimus Redemptor passus est. Incipiamus à Vespera feriæ quintæ usque ad Vesperam feriæ sextæ.

Horâ VI. Vespertinâ valedixit SS. Matri suæ.

Horâ VII. Pedes discipulorum lavans.

Horâ VIII. Seipsum nobis in cibum tradens.

Horâ IX. In horto orans, ac sanguinem sudans.

Horâ X. A Judæis in monte Oliveti captus.

Horâ XI. Ad Annam & Caipham ductus.

Horâ XII. Alapâ coram Pontifice percussus.

*A media nocte.*

Horâ I. Velatus & ludibrio habitus.

Horâ II. A Petro ter negatus & illusus.

Horâ III. Incarceratus, & indignissima passus.

Horâ IV. A falsis testibus accusatus.

Horâ V. Reus mortis proclamatus.

Horâ VI. Vinculus ad Pilatum ductus.

Horâ VII. Ad Herodem missus, & illusus.

Horâ VIII. Barabbæ latroni postpositus.

Horâ IX. Flagellis crudelissimè cæsus.

Horâ X. Spinis coronatus & ad populum productus.

Horâ XI. Cruci adjudicatus, & oneratus.

Horâ XII. Inter duos latrones crucifixus.

*A Me-*



## A Meridie.

Horâ I. Matrem suam allocutus.

Horâ II. In cruce sitiens, felle & aceto potatus.

Horâ III. In cruce mortuus.

Horâ IV. Crudeli militis lanceâ transfixus.

Horâ V. De crucis ligno depositus.

Horâ VI. Sepulturæ mandatus.

4. Vide ex hoc, anima Christiana, quomodo ad quemlibet horologii sonum amarissimam crucifixi Amoris tui passionem possis gratâ mente, & non sine amoris ac doloris affectu recolere: *Christo 1. Petr. 4. 1. igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

Accedit, quod Leo X. & Paulus V. Pontifices Maximi omnibus Christianis, qui auditâ horâ salutationem Angelicam devotè pronuntiarent, toties mille dierum veniam indulserint. Dic proinde semper, si amator Crucifixi JESU & SS. Matris ejus dolorosæ esse velis, ubi sonum campanæ horam sonantis audieris: *Omnipotens faustam donet mortalibus horam, & mihi misero peccatori suam gratiam, delictorum veniam, ac tandem vitam æternam.* Subjunge exinde: *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS.* NB. Qui hac horâ VI. SS. Matri suæ peramanter valedixit; Perge exinde: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.* Et sic procede in aliis horis, recolendo & cætera Dominicæ passionis mysteria, v. g. Horâ 7. *Qui hac horâ Discipulorum pedes lavit, & sic de reliquis horis.* Videbis, anime mi, ex hac assidua Crucifixi Salvatoris tui commemoratione profectum ingentem, & in suprema mortis hora dulce solatium: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semet-Hebr. 12. 3. ipsum contradictionem &c.*

5. Cæterum plura artificiosâ manu vidi horologia rotata. Venetiis in platea S. Marci ad horarum sonitum tres Magi prodeunt sua munera Christo Domino & Divæ Virgini Matri deferentes. Argentorati duodecim Apostoli; Monachii in templo P. P. Recollectorum præcedit Angelus tubam inflans, dein Gabriel Archangelus aliam Virginem salutans, & postea mors; Carolus V. Imp. loco gemmæ in annulo subtilissimum gestabat horologium, toties digitum ejus pulsans, quot campanula sonabat horas. Mitto cætera, & paucis mentem meam explico, quod nullum horologium rotatum magis mihi placuerit, quàm quorundam S. R. E. Prælatorum, qui in pe-



Sto auream crucem gemmis ornatam gestare solent, in qua non duntaxat effigies Crucifixi, sed & horologium artificiosum horas loquens, inclusum est, toties illos monens, quoties levem pulsum reddit ad amandum, colendum & imitandum crucifixum JESUM. Imitare & tu, anime mi, hoc pulcherrimum exemplum, atque singulis horis, si fieri potest, memor Dominicæ passionis, DEO tuo & Homini pro salute tua crucifixo gratias age, quia *dignus est Agnus, qui occisus est &c.*

*Apoc. 5. 12.*

*Sap. 12. 14.*

*Jo. 4. 6.*

*Cornel. in  
Matth. 27. 50.*

6. Consideremus adhuc aliquas horas notatu dignissimas, in quibus principaliora redemptionis nostræ mysteria à Christo fuerunt peracta. Horâ duodecimâ de nocte natus est in mundum: *Dum nox in suo cursu medium iter haberet.* Horâ sextâ, hoc est, in meridie JESUS defatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem: *Ista est hora,* ait S. Antonius Paduanus, *quando, ô mi JESU! sedisti in fonte misericordia super crucem.* Horâ nonâ in cruce mortuus est, & quare hoc? R. Cornelius: *Nota: Christus expiravit feriâ sextâ circa horam nonam, quâ Adam peccavit, ut ejus peccatum expiaret.* O Domine JESU! ô Amor crucifixe! Ergo propter peccatum Adami & posterorum ejus in crucem actus, & in cruce mortuus es, & quidem horâ nonâ, hoc est juxta horologium nostrum, horâ tertiâ pomeridianâ. Sit in æternum benedicta ista hora, in qua nobis paradysum reſerasti, & vitam cœlestem preparasti; ideo adoramus te, & benedicimus tibi &c.

